opter. handl. 1556

(4) Serenissimus Poloniae Rex à S. Ces. M.te atqz à Ser.mo Principe Transiluaniae se lesum arbitratur cui ipsi palam fecerint atqz affirmauerint M.tem suam cum Turca atqz Tartaro consultasse ut prosperos Transiluani successus impediat nec contenti quod libri editi in lucem de his rebus sunt, apud Summ. Pontificem sunt conquesti.

Conqueritur etiam Ser.mus Rex quod cum in proxime p̄teritis comitijs declarauerit se velle foedus inire cum Christianis Principibus contra commune hostem quod praeteritis temporibus nullus ex Poloniae Regibus fecit, et idcirco praecipuos Senatores ad id agendum elegerit Ces. M.tas etsi hos ad hanc R. M.tem misit quibus de eiusmodi armorum societate agendi initio significaret, nihil tamen p̄terea responsum sit cyetur amplius.

Dolet quoqz Regia M.tas quod cum uerbis atqz rebus ipsis Turcarum Imperatoris animum à se atqz ab hoc Regno alienauerit declarans in Comitijs uelle se cum Christianis Principibus arma et uires coniungere, cuius rei perspicuum signum dedit impediens ne Sanguineus gener Imperatoris Tartarorum Vaiuoda in Valachia constitueretur atqz Tartaris ~~obti~~ obsistens Moldauiam et Transiluaniam seruans et denique faciliores Transiluani progressus bellicos reddens, tum accusetur ab ijs qui omnia in deteriorem partem accipiunt et interpretantur ita ut uicini Principes et qui M.tem suam ad ineundum foedus inuitari deberent contra ipsam M.tem suam de fama detrahentes conspirari uideantur, atqz eiusdem actiones accusantur ita ut si quid aduersi Christianitati accidat Poloni in culpam uocentur, quando etsi neqz pecunia neqz militibus adiuti quemadmodum fuere alij, sed proprijs impensis rem communem Christianorum tantum promouerant quantum iam dictum e. de Turca et ~~Tartarorum~~ à se alienum et infestum habentes.

Quod M.tas sua Ser.ma atqz Regnum ipsum deterioris conditionis ee. appareat quia neqz cum caeteris Principibus Christianis sunt coniuncti Poloni neqz cum Turca communi hoste pace habent, imo in prioribus

quos beneficiis affecerunt variis maledictis, variisque afficiuntur, à
posterioribus non fuerunt tuti, qui cum ea serunt eidem credere non possunt
nec debent. Sentire quidem Polonos nihil aliud à vicinis Principibus
desiderari nisi ut hoc Regnum aperte hostem Turcarum se declaret,
bellique molem ad se sine fœdere aliorum Principum trahat ut Regia Maiestas
bellum gerere contra ordinum sententias qui censuerunt non
esse bellum gerendum contra Turcam nisi prius inita esset armorum
societate cum Christianis Principibus à Regio solio deponeretur.

Id vero expostulari à vicinis Principibus manifeste apparet cum
tam vehementer agunt, et tanto fervore contendant in iis rebus
quae ad Valachiam pertinent et tantum conquerentes non
docent rationes quibus Transilvaniae Princeps eandem
Valachiam retinere defendereque possit. Etsi hoc anno experti
sunt id fieri à Transilvano posse, difficilius tamen subsequenti
anno hoc idem praestari poterit, ut probabiliter existimari
debet. nec contenti Valachiam fuisse servatam, Transilvano
assignandam afferunt, non alia certe de causa nisi quod in
Turcarum potestatem ea provincia redacta belli moles Poloniis
ingruat.

Exploratissimum esse quo facto Transilvanus Valachia potitus sit et ob quam causam
et quanto cum damno rerum huius regni Poloniae coniiciens in vincula
baronem Palatinum sub amicitiae specie, eidemque verba dando, non tam
alia de causa nisi quia vexillum Polonum à Regia M.te petere voluerit
namque Poloni eandem Valachiam proprio sanguine ex Turcarum et
Tartarorum potestate sibi vindicassent.

Quod etsi videatur saltem provincia Valachiae esse in Turcarum potestate tamen re
vera eandem esse in Polonorum manu siquidem Palatinus Valachiae profectus
iuraverit in manu Polonorum, non autem Turcarum, ibidemque Polonorum
militum praesidia constituta sunt Polonorum impensis, Palatinusque
nobilis Polonus existit.

Quid aliud sibi volunt Principes vicini tantopere urgendo ut Poloni
Transilvano Valachiam cedant nisi ut brevi temporis spatio eam provinciam
Transilvanus retineat, ideoque Tartari atque Turcae illam occupent.
Poloniae vero precluditur omnis aditus ad gloriam comparandam ad
ditionesque suas amplificandas quod nil aliud innuit nisi ut bona in otio
perpetuo possideant nec fœdus ineatur, hostesque sibi vicinos cum ex non sint Transilvani
vires, quibus Valachia in Moldavia atque Transilvania non hostiliter Turcarum atque
Tartarorum averti possit.

Malum consilium Transilvano praeberi quando contenditur ut Valachiae provinciam sibi restitui
caveat. nam id petens Ser.mus Princeps duo pericula quaerit alterum pertinet ad periculum
sua proprium alterum vero Regni Poloniae calamitatem continet, siquidem cum nequeat
Valachiam tueri, si eo casu in Turcarum potestatem devenerit in aperto discrimine
versabitur Transilvania atque hoc Regnum una periclitabitur, ita ut merito dici
possit nescitis quid petatis.

Principibus Christianis hoc esse proponendum, primo maledictis atque minis nihil proficere
in hoc Regno posse, hancque agendi rationem neque esse appositam ad suadendum
Poloniis ut fœdus armorum ineant, cum nemini sit velle maledictis atque minis auxilia
sibi comparare.

2. Quod Poloni nunquam aperte contra Turcam arma inferent nisi prius inita cum
Christianis Principibus armorum societate quae bene sibi firmata.

3. Nihil esse magis necessarium quam mutuum amorem atque benevolentiam inter vicinos
Principes induci. nam si regnum in comitiis tractandis semper aliqua animorum
alienatione suspicione retardetur, nihil perfici poterit laboresque frustra
suscipientur.

4. Si Principes Vicini una expostulant expeditionem bellicam decantatam si Poloni
volunt, non valent, neque possunt armorum societatem cum Principibus Christianis
inire quiescant et Poloni quiescant permittant

Quod Ser.mus Rex etsi inique sit acceptus verbis Regia M.te indignis, noluit
tamen pro malo malum sed pro malo bonum reddere maluit ideoque etsi per anni spatium
expectavit ut fundamenta expostulatae societatis inter Christianos Principes
iacerentur atque iam pro certo habere potuit Principes quorum id interest non
retrixisse et ideo Regno suo cavere et consulere debet, pacta cum Turcarum
Imperatori renovando, necnon pacem cum Tartaris firmando verumtamen ut
omnes homines intelligant quis sit zelus suus erga Christianam remp. atque

atque beneuolentia in Principes uicinos decreuit comitia iterum indicere
in quibus de coniungendis uiribus et armis inter Christianos Principes contra commune[m]
hostem tantummodo agetur. periculum facere omnino S. R. M.tas uolens si serio
loquuntur Principes Xpiani: etsi ut aliquando accidit uerbo affirment, rem ipsa
negent siquidem Ser.mum Ducem Maximilianum sequentes talem societatem et
fœdus impedient, quemadmodum alias impediuerant quod in præteritis
Comitijs mirum sane accidit, cum appareret à S. M.te talem armorum societatem
desiderari Masimilianistæ contra omnino turbassent omnia, quod si in futuris
proximis comitijs eadem facient in incepto persistentes S. R. M.tas coram
Deo et hominibus protestatur per se non stetisse. et idcirco necesse habere fœdus cum
Turca et Tartaro renouare, cum alienum animum Vicinis Principibus gerentibus ab hoc
Regno et sine turcarum fœdere Regnum hoc stare non posse consequatur. Si licuit DD. Venetijs
nulla iniuria aut contumelia affectis sine ullius offensa non agere de fœdere cum principibus
Christianis sed cum Turca statim renouare pacem, et concordiam stabilire; quare Polonis
tam male habitis post diuturnum tempus in quo expectat ut fœdus ineatur, cum Turca
Regno Poloniæ contalentibus pacem renouare non licebit? uel quare id Venetis uitio non
uertitur Polonis uertitur? quare illi nulla ignominia afficiuntur hi uero quasi in fures
maledictis petuntur? Mater dilectissima animaduertat quæso Cel.do V.ra noua plane auxilium
petendi rationem qua à Ser.mo Rege coniuge suo, illiusque populi suppetiæ quæruntur
Et si nihil sibi, nihil potestatis, nec nobis fides adhibenda est. etsi secreto comparasti
cum Turca atque Tartaro, etsi nihil nisi metum à nobis expectari potest, etsi nos loco
hostium habeamus, ut ex missis scriptis constat. auxilio tamen ut nobis esse
uelitis petimus, quamuis tales nos esse quales diximus uniuersi ostenderimus,
An hæc est ratio et modus sibi reddendi beneuolos animos populorum et Sermum
Regem reddendi facilem? Quod hoc nouum est inuitandi genus?
Idcirco nihil aliud hoc esse uidetur nisi uim inferri huic Regno, itaut et
nolens sibi ipsi tantum consulat periculorumque Vicinis imminentium nullam
gerere curam. Sed tamen his omissis iterum Ser.mus Rex [illegible] periculum
facere decreuit, si reiectis iniurijs atque uocibus contumeliosis opera
detur firmandæ stabiliendæque concordiæ, quod et fieri possit omnes odij
atque ~~maleuolentiæ~~ maleuolentiæ suspiciones atque occasiones procul
sunt amouendæ, ut inde animorum coniunctio consensioque consequatur
sicque facilius uires et arma contra commune Christiani nominis
hostem coniungentur. V.